



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXI. An omnia quæ Angelus naturali virtute intellectus assequi
potest, simul cogitare valeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Hac igitur ratione recte dixit, *Nihil enim intelligere contingit*, (nempe disputationis) *nihil unum intelligentes*: hoc est, eos, qui non intelligunt rem aliquam vnam determinate, de qua suscipitur disputationis.

DISPUT. CCXXI.

An omnia, quæ Angelus naturali virtute intellectus assequi potest, simul cogitare valeat.

Quid sentiat Durandus. cap. 1.

Tres alie Scholasticorum opiniones. cap. 2.

Probabilior sententia. cap. 3.

Dissolvitur argumentum primæ opinionis. cap. 4.

CAPVT I.

Quid sentiat Durandus.

Precedenti disputatione ostensum est, posse Angelum suo intellectu simul plura intelligere, & actu considerare etiam per modum plurimum. Nunc vero maior superest difficultas, vtrum non tantum multa, sed etiam omnia simul cogitare valeat, an non, quæ successione quadam ex sua virtute naturali considerare potest. In qua quidem controversia prima sententia sit *Durandus* in 2. dist. 3. q. 8. qui primum docet, Angelum aliqua semper intelligere simul, aliqua vero non: ea autem intelligere simul, quæ sunt præsentia, & existunt actus, de præteritis autem nihil dicit: fortassis idem omnino existimaret, si illorum meminisset. Confirmat autem hanc partem hac ratione: omnia quæ actu existunt, sunt sufficienter præsentia intellectui angelico, & ei comparantur, ut obiecta ipsi accommodata: vnumquodque autem actu intelligitur, secundum quod est præsens intellectui ergo hæc omnia semper actu intelliguntur. Deinde affirmat, futura quæ ex libero arbitrio pendent, non semper ab Angelo cognosci: nam ut supra vidimus disp. 207. ex sententia ipsius, hæc futura non possunt ab Angelo evidenter cognosci propria ipsius virtute. Ceterum aperte non explicat *Durandus*, vtrum à cognitione eorum, quæ Angelus naturaliter potest cognoscere, libere cessare valeat; an vero ita necessario omnia illa actu consideret, ut ab alicuius cognitione cessare nequeat: fortassis autem existimavit, id non esse Angelo liberum: si enim liberum esset, non semper illa omnia consideraret. Probari autem potest hæc sententia: quia si Angelus ab alicuius rei præsentis, aut præteritæ cognitione cessaret, non posset ab aliqua causa ad cognitionem illius rei iterum reduci, vel enim reduceretur ab aliqua causa & obiecto exteriori: vel ab aliqua cognitione alterius rei, in qua Angelus maneret, quia nunquam cessat ab omni cognitione, vel à voluntate ipsius Angeli, præter has autem nulla alia videtur superesse causa, à qua reduci possit: atqui à nullum harum reduci posset, ut inductione patet: primum, non ab aliqua causa exteriori, si enim ab aliqua, maxime ab ipso obiecto, quemadmodum nonnulli opinantur, res futuras tunc incipere ab Angelo cognosci, cum incipiunt esse præsentis, quia tunc obiectum determinat facultatem intellectus angelici vel imperminat speciem, vel alio modo mouens, quo mouere non poterat, quando erat adhuc futurum: hoc autem modo non potest

intellectus Angeli determinari à re præsentis, aut præterita, quia prius considerabat id, à cuius consideratione cessauit, quia cum ex parte ipsius rei nulla sit facta mutatio (eodē enim modo præsens est, aut præterita, sicut erat quando antea considerabatur) non videtur maior ratio, propter quam nunc determinet, & reducat intellectum ad suam considerationem, quam antea, deinde determinari non potest intellectus Angeli ab aliqua interiori cogitatione alterius rei, nam si cessauit, verbi causa, à consideratione equi, quem antea simul cum homine considerabat, & permansit in consideratione solius hominis, ex sola consideratione hominis reduci non poterit ad considerationem equi, quem antea considerabat, & in vniuersum ex consideratione vnius obiecti ad considerationem alterius nulla ratione reduci potest intellectus Angeli, quia non videtur maior ratio, quare ex consideratione vnius ad considerationem huius potius, quam illius determinetur, postremo determinari non poterit intellectus à voluntate, quia prima cogitatio de aliquo obiecto, non potest ex voluntate provenire, eo quod cogitatio natura sua debet omnem operationem voluntatis præcedere, & impossibile est voluntatem applicare intellectum ad cogitandum de homine, nisi aliqua cogitatione priori de ipso homine exciteretur, cum voluntas non possit in incognitum ferri.

Hæc opinio mihi non probatur. Quod enim res creatæ actu existentes, sunt præsentis non solum, reali existentia, sed etiam (ut dicitur) obiectiva, hoc est, sint obiecta accommodata & in proportionem debita cum intellectu Angeli, imo intellectus angelicus sit constitutus in actu primo ad eorum intellectionem, non satis est, ut Angelus eas omnes semper simul intelligat, tum quia poterit nihilominus cessare ab alicuius cognitione & cogitatione, tum etiam quia non videtur tam efficax Angeli virtus ad intelligendum, ut possit in omnes res simul cogitatione ferri. Argumentum vero pro hac sententia allatum inferius dissolvemus.

CAPVT II.

Tres alie Scholasticorum opiniones.

Secunda opinio sit *Gregorij* in 2. d. 21. q. 1. qui duo etiam asserit. Vnum est, recte posse Angelum omnia simul distinctè intelligere, quorum habet species, idque per plures actus, & species, & conceptus expressos & formales. Alterum est, posse Angelum ab vniuersaliusque rei consideratione cessare, & iterum ad illam reduci. Priorem partem probat, tum quia non repugnat, esse plures conceptus simul in eodem intellectu Angeli, ut superiori disp. probatum est: id quod ipse etiam *Greg.* docuerat in 1. d. 1. q. 1. art. 3. tum etiam quia non repugnat, plures actus simul elici posse ab eodem intellectu per plures species intelligibiles impressas, quibus constituitur in actu primo: quia agens, quod dici solet causa partialis, elicere potest simul plures operationes, vrens pluribus formis ad operandum, nisi natura sua in operatione fatigetur: atqui intellectus est causa partialis, quæ cum specie impressa elicit operationem, & in operando non fatigatur, sicut phantasia, vel alius sensus, ergo poterit simul omnia intelligere, quorum habet species, & principia. Deinde idem confirmat ex *Augusti* 4. de *Genesi*.

Gregorij

Omnia quorum habet species, posse simul cognosci ab Angelo probat Gregor.

Augusti

Genes. ad litteram cap. 3. 2. cuius verba retulimus dis-
preced. cap. 2. & eodem libro. cap. 33. in principio, ubi ait
Sed si omnia mens simul angelica potest, quæ sigillatim per
ordinem connexarum causarum sermo distinguit, &c. Po-
steriorem vero partem suæ sententiæ ideo pro-
bat, quia liberum est Angelo, ut hac vel illa specie,
& principio intelligendi, ad eliciendam intel-
lectionem: nec vlla ratio afferri potest, ob quam
dicamus necessarium esse Angelo, per omnes
species simul operari: non enim minus in pote-
state Angeli, sed multo magis, quam in hominis
potestate est, ut habitibus, & speciebus, cum vo-
luerit: homini autem liberum est à consideratione
cuiuscunque rei cessare: quod si interdum non
potest, ideo est, quia phantasia non ita parat nutui
voluntatis, ut despotice & sine repugnantia obe-
diat, at vero intellectus nisi à phantasia mouere-
tur, absque vlla omnino resistentia voluntati o-
bediret: liberum igitur est Angelo cum voluerit
à cogitatione, & consideratione cuiuscunque ob-
iecti cessare.

Tertia sententia sit Ferrarii. 2. contra gentes cap.
101. §. Circa illud. ubi duo docet, Alterum est, ea
quæ cognoscuntur ab Angelo per eandem speciem,
posse simul ab Angelo cognosci vna & eadem cog-
itatione; alterum est, ex ijs etiam quæ per ean-
dem speciem cognosci possunt, posse quidem v-
num sine alio ab Angelo considerari. Quam sen-
tentiam videtur tradidisse San. Thomas & Caietanus
in hoc articulo, & Capreolus in 2. distinctione 3. quæst. 2.
art. 1. conclus. 9. cum asserunt, posse quidem ab An-
gelo cognosci plura simul per modum vnius: cog-
noscit autem per modum vnius nihil aliud esse,
quam cognosci per vnam speciem, nullas tamen
eorum definit, utrum omnia, quorum varias spe-
cies Angelus habet, simul ab eo cognosci possint,
an non. Prior pars huius sententiæ probari po-
test: quoniam si vna species impressa est principiū
cognoscendi varia obiecta, ipsaque repræsentat
in actu primo, non videtur difficile Angelo, ut
eadem specie ad intelligendum simul omnia,
quæ per illam speciem in actu primo represen-
tantur. Posteriolem vero partem sic ostendit Fer-
rariensis: primum quia nos per speciem, quam
habemus de homine, non semper consideramus
omnia, quæ de homine cogitare possumus, sed in-
terdum quadam tantum cogitamus, alia vero o-
mittimus: ergo & Angelus per speciem eandem
poterit considerare aliquid in ea repræsentatum
in actu primo, & aliquid non considerare: quod
nihil aliud est, quam ut illa specie ad exprimen-
dam cognitionem vnius rei, & non alterius. Dein-
de sic probatur, quia sicut noster intellectus ut
potest eodem habitu scientiæ ad considerandam
vnam conclusionem, & non aliam eiusdem scien-
tiæ, cur non poterit Angelus eadem specie vti ad
considerandam vnam rem, & non aliam? Et vide-
tur fuisse sententia S. Thomæ q. 8. de veritate art.
13. ad 2. & ult. ubi concedit, Angelum cognoscere
species intelligibiles in intellectu nostro, non ta-
men quid per illa speciem, aut aliam intellectus
consideret: quia potest varia per eandem speciem
considerare: eadem autem videtur ratio de intel-
lectu Angelico.

Quarta sententia sit recentiorum Theologo-
rum, qui cum Ferrariensi in precedenti conue-
niunt. Addunt tamen, posse Angelum per ean-
dem speciem impressam non tantum successive

omnia illa, quorum est species illa, intelligere di-
uersis expressis conceptibus & cognitionibus, nec
solum per eandem speciem posse omnia illa cog-
noscere vno expello conceptu, & cognitione,
verum etiam varijs & diuersis expressis concep-
tibus, pro varietate obiectorum, & rerum, quantum
est illa species, simul cognoscere: an vero omnia,
quorum habet Angelus species impressas, possit
simul cogitare, non docent. Porro autem posse
Angelum per eandem speciem simul exprimere
varios conceptus variarum rerum, quantum est illa
species impressa, ea sola ratione existimant, quia
non repugnat, in eadem facultate intelligente, aut
sententiæ varias cognitiones simul esse: sed non
numero differentes, sicut nec duo accidentia solo
numero differentia in eodem subiecto.

CAPVT III.

Probabilior sententia.

MEa vero sententia in tribus posita est: Pri-
mum est, non satis probari, Angelum posse
considerare omnia, quorum habet species,
quam partem affirmo contra Gregorium, quem
etiam impugnatur Maior in 2. distincta. 2. quæst. 8. cum
etiam quot possit Angelus cogitare simul, conti-
re nobis non potest, sicut neque constat, quot pos-
sint ab Angelo simul considerari per modum plu-
rium. Hæc vero pars ex eo solum probatur, quia
quomodo ratio Gregorii probet, nihil repugnare
ex parte intellectus recipientis, esse in eo simul tot
intellecciones diuersarum, & plurium rerum:
tamen non probat, id non repugnare ex parte vir-
tutis intellectus elicientis & experimentis intel-
lectionem. Quare, si à solo Deo possent tot
intellecciones Angelo infundi sine ipsius virtutis
efficacitate, non repugnaret, per illas omnia simul
intelligere. Ceterum cum probabilior opinio
ferat, intellectionem non posse omnino ab ex-
trinseco intellectu infundi, sed necessitate habere
ab efficacia ipsius provenire, nec probatur pos-
sit, tantam esse virtutem intellectus creati, ut
circa hæc omnia creata simul operari queat: cer-
tum est, nec vlla ratione probabiliter ostendi potest,
posse Angelum hæc omnia creata simul intelli-
gere: cum enim efficacitas intellectus Angelici finita
sit, necessario debet habere terminum, ac proinde
tot poterit intellectiones simul producere, ut plu-
res non possit. Vtrum vero hæc sint quatuor, an
quinque aut plures, nulla ratione determinari potest.
Quare sine fundamento quis affirmabit, posse An-
gelum simul omnia creata intelligere, quorum ha-
bet species in actu primo: sine fundamento quo-
que quis asseret, Angelum habere omnium rerum
vnam solum speciem impressam, & per eam posse
omnia creata obiecta simul considerare.

Responder tamen Gregorius, ideo Angelum
posse simul intelligere omnia, quorum habet spe-
cies intelligibiles impressas, quia non est maioris cog-
nitivæ virtutis intelligere vnam, quam plures: cum igitur
possit intelligere vnam, poterit plures, immo etiam
omnes simul considerare. Porro autem non
esse maioris efficacitatis intelligere rem vnam
vna specie, quam plures cum pluribus speciebus,
probat Gregorius hac ratione: quia quoniam ma-
ioris virtutis sit, producere maiorem effectum: si-
cut sustinere maius pondus maiorem virtutem in-
agente postulat, quam sustinere minus: tamen

hoc solum intelligitur de causa, quam appellant totalem, quæ sola producit effectum, nam si de causa, ut vocant, partiali loquamur, non est maioris efficacitatis, producere maiorem cum alia partiali causa, quem sine illa producere non posset, quemadmodum non est maioris efficacitatis sustinere pondus, ut octo cum alia causa partiali adiuvante, ut quatuor, quam sustinere quatuor sine illa: sic igitur non est maioris virtutis intellectus producere plures intellectiones cum pluribus partialibus causis, nempe speciebus, quam producere pauciores per seipsum, aut cum paucioribus causis partialibus, & speciebus.

Verum hæc solutio nihil habet momenti. Primum quidem quia licet in causis partialibus, quas vocant non subordinatas, quibus sigillatim responderet mensura aliqua ponderis, aut intensiōis in effectu, qualis est causa sustinens, aut deferens lapidem, concedamus hoc, ut aliqua causa possit duplo maiorem effectum cum alia adiuvante, quam posset ipsa sola: tamen ob id concedere non debemus, causas partiales subordinatas posse plura, atque plura sine termino simul operari cum alijs causis partialibus, alioquin & infinita simul operari possent, si ab infinitis causis partialibus adiuvarentur. Quod si terminus aliquis præfigi debet, ut possit causa partialis huiusmodi operari simul cum aliquibus, & non cum pluribus: nulla erit ratio, qua probeant, posse angelicum intellectum cum omnibus speciebus, quas habet simul operari: vocat autem Schola partialem causam subordinatam eam, quæ simul cum alia ad effectum ita concurrit, ut non respondeat ei gradus aliquis intensiōis, aut ponderis in effectu, sed ratio aliqua communis aut peculiaris, quæ simul cum alia constituit effectum: veluti dicere consuevimus, intellectui respondere in intellectu rationem cognitionis & intellectiōis: rationem autem talis, quæ nimirum est circa tale obiectum, respondere speciei, quæ constituit intellectus in actu primo, ut integrum principium huius intellectiōis, ut supra disp. 43. cap. 4. ostensum est. Quamvis igitur dicamus, causam partialem priori illo modo, cui respondet in effectu gradus intensiōis, aut ponderis, posse maius quid operari cum alia causa partiali, quam ipsam solam: tamen non sequitur, causam partialem posteriori modo, quæ vocamus subordinatam, non habere determinatam virtutem, ut simul cum una, vel pluribus causis partialibus, & subordinatis operetur: sed necesse est dicendum est, esse virtutis determinatæ, ut possit cum tot causis partialibus subordinatis operari, non autem pluribus: & hoc præsertim in intellectu verum est: quia species intelligibiles, ita adiuvant intellectum sicut causæ partiales ei subordinatæ, ut ab eo virtutem accipiant & fecunditatem concurrendi cum illo per modum instrumenti coniuncti: cumque intellectus finitæ efficacitatis & virtutis sit, communicare non poterit pluribus speciebus hanc vim sine termino: si autem terminus ei præfigendus est, nulla est ratio ut dicamus, simul posse cum omnibus speciebus operari.

Deinde si argumentum Gregorij vim aliquam haberet, probaret etiam, sensum internum simul operari posse cum omnibus speciebus, quas ex rebus antea sensatis accepit, quod est absurdum. Sed respondet Gregor. ideo sensum internum cum omnibus speciebus operari non posse, quia fati-

gatur, cum tamen, nisi fatigatio impediret, alioquin non minus posset simul omnia cogitare, quam intellectus angelicus. De nostro vero intellectu idem dicere debet, quod de sensu interno, alia tamen ratione: nam quamvis intellectus noster secundum se lassari nequeat, quia tamen indiget operatione phantasie & sensus interni, ut operetur, & hæc facultas sensus in operatione fatigari solet, ideo non poterit omnibus speciebus, quas habet simul vii. Hoc tamen responsum Gregorij facile refelli potest, nam licet lassitudo facultatem sentiendi in causa sit, ut potentia non possit multum durare in operatione, nec ad eam rem attendere, tamen hoc non impedit, quo minus in principio, quando sensus non est fatigatus, non possit ad omnia simul attendere, quorum species habet, & omnia simul cogitare, si alioquin eius virtus ad operandum limitata non est, & exemplum, quo vius est Gregorius, in ipsum optime retorqueri potest. Nam sicut virtus, quæ potest sustinere pondus, ut octo cum alia causa partiali adiuvante ut quatuor, potest initio, antequam vires eius fatigentur illud pondus sustinere, deinde, cum fatigatur, non potest, eodem modo & facultas sentiens, si ex se limitata non est, omnia, quorum habet species, poterit in principio simul cogitare quamvis in eorum consideratione propter lassitudinem non possit diu perseverare.

Postremo exemplum, quod adducit Gregorius nihil probat, imo contra ipsum efficaciter eo vii possumus, nam agens quod operatur cum alio agente partiali maius aliquid operari, quam per seipsum, ita limitata virtus est, ut non possit cum multis alijs agentibus partialibus coniunctum operari. Qui enim potest portare per se pondus ut quatuor, & ita cum alio pondus, ut octo, non poterit simul cum duobus æqualibus deferre pondus, ut decem sex; quia virtus eius, cum finita sit, non potest pluribus agentibus partialibus communicari, & ita soluta manet ratio Gregorij.

Secunda pars nostre sententiæ est, posse Angelum ea omnia simul cogitare, quorum habet unam speciem impressam (ut vocant) in actu primo, nihil enim obstat videretur, quo minus per illam speciem eliciat intellectus actum adæquatum complectens, & actu representans simul quæcunque per modum habitus erant in illa specie, alioquin si nunquam omnia illa simul intelligere posset, frustra data esset illi a Deo, aut a natura ipsa unica species pro pluribus obiectis. Hoc autem ego intelligerem tantum de obiectis, quæ natura specificæ differunt, ut si per eandem speciem intelligibilem impressam plura huiusmodi representantur in actu primo intellectus angelicus per illam exprimere possit conceptum formalem, & speciem expressam, quam dicunt in actu secundo, per quam actu cognoscat omnia obiecta illa simul, at vero cum per eandem speciem impressam naturæ specificæ cognoscat Angelus singula & individua omnia illius naturæ, & cognoscere posset infinita successu temporis, si in infinitum multiplicanda essent, difficile videretur, Angelum posse per illam speciem actu simul considerare omnia individua illius naturæ, præsertim cum Angelus rectè cognoscat propria virtute omnia individua futura ex causis naturalibus absque ullo interveniendi liberi arbitrij, ut notavi disp. 1. c. 2. si autem posset per eandem speciem naturæ specificæ cognoscere simul

Exemplum
Greg. vii.
ipsum retorqueretur.

Alia ratio
contra Greg.

simul omnia singularia illius naturæ, posset etiam cognoscere simul omnia futura individua & præterita, & præsentia, quæ sunt in magna multitudi-
ne, quod videtur difficile. imo vero, etiam si causæ duraturæ essent in perpetuum, infinita illarum individua posset Angelus simul cognoscere, quod est magis incredibile.

Augustinus vero locis citatis pro sententia Gregorij hanc solum voluit differentiam constituere inter angelicum intellectum, & nostrum, quod nos decursu, & moræ temporis intelligimus, quia difficultate corporis aggrauati prius ea, quæ facta sunt, per sensus corporis percipimus, & inde eorum notitiam mens nostra pro modulo suo capit: deinde quærit eorum causas, si aliquo modo possit eas inuenire: Angelus vero simul, quæ voluerit, intelligit: non quia, si velit, omnes res mundi simul valeat considerare, sed quia ea, quæ potest simul considerare, sine mora & decursu considerat, cum tamen homo ea non nisi decursu cognoscat. Hanc differentiam assignare voluit B. August. 4. de Genes. ad lit. cap. 3. 2. cap. tamen 33. videtur concedere, omnia creata fuisse simul in Angeli cognitione matutina, & vespertina, sicut ipse quoque existimat, in principio mundi omnia simul facta esse, quod quidem si aliqua ratione concedi posset de vespertina cognitione, quæ res creatæ cognoscuntur secundum proprias naturas, ut notauit disputatio 5. 1. capite 2. non videtur intelligi de singulis indiuiduis, sed solum de naturis ipsis, quoad aliqua indiuidua, verum neque certum esse potest, nec mirum est, doctissimum virum in hac re non tam recte philosophatum fuisse, quando contra communem sententiam, & Scripturæ sensum existimauit, omnia simul à Deo condita fuisse, & sola intellectione Angeli dies illos Genesius distinxit. Et ita responsum est ad rationes Gregorij.

Tertia pars nostræ sententiæ est, in Angeli potestate esse, considerare vnum sine alio, si velit ex ijs, quæ in eadem specie representantur. Hoc autem intelligo, postquam intellectus Angeli naturaliter aliqua cognitione alicuius obiecti excitatus est: siquidem habitibus & speciebus nos etiam vtimur, ut volumus. Ceterum per eandem speciem intelligibilem representantem plura per modum plurium, elicere non potest angelicus intellectus, etiam si velit, plures cognitiones simul, sed si velit plura actu considerare ex ijs, quæ illa species impressa habitu representat, debet eadem expressa notitia intelligere. Itaque per illam speciem non potest duplex notitia simul, sed vna tantum exprimi: vnitatis enim intellectiois ex vnitatis principij debet desumi. Si enim Angelus velit uti specie intelligibili secundum totam latitudinem obiectorum, quæ representat in actu primo, non potest non exprimere aliam communem speciem, quæ omnia in actu secundo representent.

CAPVT IV.

Diffoluitur argumentum primæ opinionis.

EX rationibus omnium opinionum, quæ supra allatæ sunt, superest ea, quam pro opinione Durandi cap. 1. adduximus ad probandum Angelum non tantum posse simul omnia cognoscere, quorum habet species verum etiam in eorum consideratione semper versari: quia si ab alicuius

obiecti cogitatione cessaret, non esset quædam illius considerationem iterum reduceretur. Hoc autem argumentum dissoluere contendit Gregorius loco superius allegato, eo quod contra sententiam præsertim pugnat. Respondetur igitur in ea quæstione ad argumentum oppositum contra secundam conclusionem, non solum cognitionem naturalium, quæ subito contingit, non esse aliqua voluntate præcedente, verum etiam posse esse liberam cognitionem & considerationem abique eo, quod a voluntate libera præcedere imperetur. Quare inquit, posse Angelum libere applicare ad considerandum hoc posuit, quod illud, postquam ab eorum consideratione cessaret, etiam si nulla voluntas libera præcederet, quæ vellet Angelus hoc, potius quam illud cognoscere hoc autem probat hac ratione, quia cum aliquis perseverat libere in aliqua cogitatione, quæ libere potest quouis momento cessare, non dicitur in ea perseverare libere, quia habet expressam voluntatem in ea perseverandi: siquidem non habet semper notitiam reflexam, qua considerat, se cogitare, & bonum esse in ea consideratione permanere: si enim haberet notitiam reflexam, vel non illam esset elicta voluntas, vel non esset? si non esset, iam daretur notitia reflexa libera abique eo, quod præcederet voluntas cogitandi: quod contendit Gregorius si autem præcederet, antequam deberet esse alia notitia reflexa, & sic in infinitum datur igitur libera cogitatio, in qua Angelus de homo libere perseveraret, & tamen sine voluntate perseverandi in ea: eodem igitur modo poterit Angelus libere se reducere ad primam cognitionem aliquam, etiam si non habuerit prius voluntatem seipsum ad eam reducendi.

Hæc tamen solutio non probatur. Cuiusmodi 2. dist. 3. quæst. 2. art. 3. ad argumenta Greg. 2. contra 9. conclusionem in solut. 5. docetque, hoc modo non satisfieri argumento superius a doctrinâ pro sententia Durandi: probat autem et Henrico quodlib. 1. quæst. 12. & quodlib. 9. q. 5. an cognitionem voluntatis actum præcedere semper aliquem actum intellectus: id quod nec Greg. nec alij alij negat: solum enim contendit Greg. defendere actum intellectus liberum esse, etiam si non imperetur, aut pendeat ab aliquo actû voluntatis expresso, ex eo solum quod homo, aut Angelus potest ab eo cessare, ut liberetur. Nilominus mihi non probatur sententia & solutio Gregorij, eo quod non est eadem ratio, ut actus intellectus libere incipiat, & ut libere continueatur. Nam ut libere incipiat, arbitror necessarium esse actum voluntatis expressum: ut autem libere continueatur, non videtur necessaria expressa voluntas in eo permanendi: sed satis est, si intellectus attendat, se in ea cogitatione manere, etiam si voluntas non habeat positiuum actum continuandi. Potest autem intellectus attendere, se in tali cogitatione versari, aut per actum reflexum, aut foris illis aliquando ipsam cogitationem directam, quæ per se hinc manifesta ipsi cogitanti: cogitatio vero reflexa, qua considerat intellectus, se in tali cogitatione versari, non est libera promouens ex cogitatione versari, non est libera promouens ex priori voluntate, quam debebat præcedere aliqua cognitio, sic enim esset processus in infinitum: sed est naturalis, quæ naturaliter oritur ex ipsa directa cogitatione, in qua intellectus est. Ut igitur cogitatio aliqua continueatur libere, oportet

Angelus potest, ex ijs quæ in eadem specie representantur, vnum sine alio concipere.

opus est, ut illam præcedat voluntas expressa in ea permanendi; sed satis est, si voluntas, cum possit illam impedire, non impediat; ut autem nouiter incipiat aliqua cogitatio in intellectu ex libertate, requiritur actus voluntatis positius, quo velit angelus aut homo cogitare: si enim voluntas negative se habeat, non potest ab ea cogitatio libere pendere, ut incipiat ex eo solum, quod voluntas prohibere potuit, nec inciperet cogitatio; quia debet positius applicari intellectus ad cogitandum, quoties à principio naturali non applicatur; quoties autem à principio naturali & necessario determinante applicatur, non est in potestate voluntatis impedire, ne incipiat cogitatio, sed ne deinceps perseveret. Valeat igitur solutio Gregorij.

Ferrar. vero 2. cont. gent. cap. 101. §. Ad secundum dicitur. Prædicti argumenti difficultatem aliter dissolvere contendit. Ergo fatetur, necessarium esse, ut præcedat cogitatio aliqua vel confusa, vel distincta ante omnem voluntatem elicitam; tum etiam necessarium esse, ut præcedat voluntas elicita, quæ velit homo, aut angelus cogitare de re aliqua, antequam liberè, & distinctè de illa cogitet: reduci autem angelum à se ipso liberè ad primam distinctam cogitationem de re aliqua hoc modo: Nam cum ipse semper in sui ipsius consideratione naturaliter sit considerans actum suam essentiam & perfectiones; semper etiam considerat omnes species intelligibiles, quas in intellectu suo habet in actu primo ad intelligendum per illas, ex quo etiam consequenter cognoscit, saltem confuse, omnia obiecta, quorum habet species: nam cognitis speciebus & conceptibus formalibus, qui sunt in intellectu aliquo cognoscuntur obiecta eorum, saltem confuse, licet non clare, & proprio conceptu, ut disput. 38. cap. 4. dictum est: ex hac igitur cognitione, quæ considerat omnes species, quas habet, potest cōingere hanc, aut illam ut per eam distinctè consideret hoc, vel illud obiectum, cuius est species illa, quod iam per speciem ipsam confuse cognouerat, sciens, per illam speciem posse suum intellectum circa tale obiectum operari. De homine vero aliam existimat esse rationem; cum enim eius operatio pendeat à sensu, tanquam à ministrante obiectum; ab eo etiam determinatur ad hoc potius, quam ad illud considerandum, prout sensui varie occurrit.

Mihi sane hæc solutio non videtur firmum habere fundamentum; neque enim satis certum est, Angelum semper versari in sui ipsius consideratione; aut, si suam substantiam semper actu cognoscit: non est tam certum actu considerare omnes species intelligibiles sui intellectus, si eas habet in actu primo. Ideo respondeo, ad primam cogitationem de aliquo obiecto, nec determinari angelum ab obiecto exteriori creato, nec à seipso vltimo modo, sed à Deo auctore nature; hoc autem proprium esse rationalis creature, ut à seipsa non determinetur ad primam cogitationem ostendam 1.2. quæst. 109. artic. 4. & quamvis homo determinetur aliquando ab obiecto occurrente & excitante considerationem sui; hæc tamen determinatio in Deum, ut primum auctorem reuocari debet; quia ipse prouidentia sua fecit, ut talis esset series causarum naturalium, quæ potius hoc obiectum, quam illud in hac potius occasione, quam in alia occurreret; interdum tamen, nec minus frequenter sine externa occasione in-

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

tellektus humanus excitatur, & determinatur ad hoc potius, quam illud considerandum, pro varietate cogitationum, quæ oriri solent in phantasia, & sensu interno: experiemur enim quotidie in nobis, dum cogitamus rem aliquam, subito in phantasia excitari imagines aliarum rerum; quæ quidem adeo variæ esse solent, ut in causam naturalem, quæ semper eodem modo operatur, reduci nequeant. Quare existimo ministerio aut boni, aut mali Angeli in nobis excitari, aut à Deo proximè moueri, & sensum determinari, tamen alicuius cogitationis causa naturalis interna esse possit, cur potius illa, quam alia in nobis fuerit.

Cæterum cum angelus à nulla aliâ causa exteriori creata naturali, aut libera determinari possit, quia nulla in ipsum physicè agere valeat, nec ab aliqua causa interna; tum quia naturalis nulla est, nec assignari potest: tum etiam quia libera esse nequit: vix enim explicare possumus, quo pacto à sua voluntate Angelus reduci queat ad primam cogitationem, relinquatur, ut à solo Deo determinetur; quàm solutionem præsentis difficultatis indicauit Capreol. loco citato, & S. Thom. passim hanc doctrinam inculcat, præsertim 1.2. q. 9. art. 4. & q. 10. art. 2. Et quæ doctrina Aristot. ut ibid. ostendimus.

ARTICVLVS III.

Utrum Angelus cognoscat discurrendo.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Angelus cognoscat discurrendo. Discursus enim intellectus attenditur secundum hoc quod vnum per aliud cognoscitur. Sed angeli cognoscunt vnum per aliud; Cognoscunt enim creaturas per verbum. Ergo intellectus angeli cognoscit discurrendo.

2. Præterea. Quicquid potest virtus inferior, potest & virtus superior. Sed intellectus humanus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere, secundum quæ discursus attenditur. Ergo intellectus angeli, qui superior est ordine naturæ, multo magis hoc potest.

3. Præterea, Isidorus dicit, quod demones per experientiam multa cognoscunt. Sed experientialis cognitio est discursiua. Ex multis enim memorijs fit vnum experimentum: & ex multis experimentis fit vnum vniuersale: ut dicitur in fin. Posteriorum, & in principio Metaphysicæ. Ergo cognitio angelorum est discursiua.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 7. de diuin. nominib. quod angeli non congregant diuinam cognitionem à sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad ista specialia simul aguntur.

Respondeo dicendum, quod sicut sæpius dictum est, angeli illum gradum tenent in substantijs spiritualibus, quæ corpora cælestia in substantijs corporeis.

Ddd

Nam

Nam & cœlestes mentes à Dionys. dicuntur. Est autem hæc differentia inter cœlestia & terrena corpora, quod corpora terrena per mutationem & motum adipiscuntur suam ultimam perfectionem: corpora vero cœlestia statim ex ipsa sua natura suam ultimam perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus scilicet hominum, per quandam motum & discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur; dum scilicet ex vno cognito in aliud cognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principij noti inspicerent, quasi notas omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in angelis, quia statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspicunt omnia, quæcumque in eis cognosci possunt. Et ideo dicuntur intellectuales, quia etiam apud nos ea, quæ statim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur. Vnde intellectus dicitur habitus primorum principiorum. Animæ vero humanæ, quæ veritatis notitiam per quandam discursum acquirunt, rationales vocantur. Quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut Angeli, statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, inueniendo quicquid ex eis syllogizare posset.

Ad primum ergo dicendum, quod discursus quædam motum nominat. Omnis autem motus est de vno priori in aliud posterius. Vnde discursiva cognitio attenditur secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum. Si autem vno inspecto simul aliud inspicatur, sicut in speculo inspicitur simul imago rei & res, non est propter hoc cognitio discursiva. Et hoc modo cognoscunt angeli res in verbo.

Ad secundum dicendum, quod angeli syllogizare possunt tanquam syllogismum cognoscentes. Et in causis effectus vident, & in effectibus causas, non tamen ita quod cognitionem veritatis ignorare acquirant syllogizando ex causis in causata, & ex causatis in causas.

Ad tertium dicendum, quod experientia in Angelis, & dæmonibus dicitur secundum quandam similitudinem, prout scilicet cognoscunt sensibilia præsentia, tamen absque omni discursu.

Conclusio est. Angeli non cognoscunt discurrendo: eam vero non limitat S. Thom. ut locum habeat so-

lum circa intelligibilia, quæ naturaliter angelis cognosci possunt, non circa supernaturalia mystica, de vtriusque men disput. seq. dicemus.

DISPUT. CCXXII.

An intelligat Angelus per discursum.

Dua opposita Scholasticorum sententia, 6.1.

Prior pars probabilioris opinionis, 6.2.

Posterior pars probabilioris opinionis, 6.3.

Solvitur argumentum Scoti & Gregorij, 6.4.

CAPUT I.

Dua opposita Scholasticorum sententia.

Discursus, de quo præsens est controversia, ex sententia Logicorum nihil aliud est, quam collectio vnius notitiæ & cognitionis ex alia, ut cum intellectus ex eo, quod de re aliqua nota intelligit, movetur ad intelligendum aliquod aliud de eadem re: hoc pacto notitia, quæ movetur, hominem esse rationalem, movetur ipsam, intelligat, esse etiam risibilem. Quare id, quod per discursum intelligimus, non est nobis per se patens & intelligibile, sed per aliud prius notum, aut causaliter cognitum. Contra vero quid sine discursu intelligere, est illud esse notum per se, non per aliud prius notum. Eliguntur difficultas proposita, vitum ea, quæ Angelus cognoscit, cognoscat per discursum, an omnia tunc ei per se nota sine discursu, indubitatum autem est, quædam esse Angelo per se nota & sine discursu, quando & hominibus aliqua etiam, quæ sunt prima principia hoc modo nota sunt. At vero aliqua sunt Angelo per discursum nota, quæ rationem habent.

Prima autem sententia est eorum, qui dicunt, quod ab Angelo aliqua non minus per discursum cognoscuntur, quam ab homine, etiam si illa sunt intellectus ipsi naturaliter & evidenter nota. Ita docet S. Thomas in 2. 2. q. 1. §. 5. *Contra conclusionem, paulatim veritas.* Contra secundam viam, & dist. 1. q. 1. §. 1. *Contra animam, veritas. Item queritur, & in 3. part. princ. quest. 4. & 5. laterali in principio, Gregorij 1. dist. 3. quest. 5. art. 2. Otiam in 2. quest. 1.6. contra secundam viam primæ opinionis, & conclus. 6. in fine, Gabrielis 1. dist. 3. quest. 2. art. 3. p. 1. articuli conclus. 5. Præcipuum autem fundamentum huius sententiæ est, quia ad rationem discursus non est necessaria aliqua mora, aut temporis intervallum: sed in vno temporis momento esse potest: solum autem requiritur ut principium sit prius notum natura, & in causa cognoscendi aliud: hoc autem contingit in Angelis, ut docet Gregor. & in beatis, ut docet Scotus in illa quest. 3. prologi: quia non omnes veritates, quas Angelus novit, medio vacant, & sunt ei per se notæ. Idemque de beatis dicendum videtur. Si enim omnes veritates essent illis per se notæ, & relatæ ad eorum intellectum medio vacarent; nobis etiam essent per se notæ, & medio vacarent: verbi causa hæc propositio, *Solus deus vacans*, est quidem evidenter nota Angelo, sed non aliter, quam Astrologo: huic autem non est per se nota, & medio vacans: Alioquin si Angelo aut Astrologo esset per se nota, & medio vacans, nobis etiam omnibus esset, quod est absurdum: ergo nec angelo erit per se nota: est igitur aliqua propositio nota angelo non per se, sed ex alio, soluti hæc ex eo nota est, quia cognoscuntur Soli fac-*

opus est, ut illam præcedat voluntas expressa in ea permanendi; sed satis est, si voluntas, cum possit illam impedire, non impediat; ut autem nouiter incipiat aliqua cogitatio in intellectu ex libertate, requiritur actus voluntatis positius, quo velit angelus aut homo cogitare: si enim voluntas negative se habeat, non potest ab ea cogitatio libere pendere, ut incipiat ex eo solum, quod voluntas prohibere potuit, nec inciperet cogitatio; quia debet positius applicari intellectus ad cogitandum, quoties à principio naturali non applicatur; quoties autem à principio naturali & necessario determinante applicatur, non est in potestate voluntatis impedire, ne incipiat cogitatio, sed ne deinceps perseveret. Valeat igitur solutio Gregorij.

Ferrar. vero 2. cont. gent. cap. 101. §. Ad secundum dicitur. Prædicti argumenti difficultatem aliter dissolvere contendit. Ergo fatetur, necessarium esse, ut præcedat cogitatio aliqua vel confusa, vel distincta ante omnem voluntatem elicitam; tum etiam necessarium esse, ut præcedat voluntas elicita, quæ velit homo, aut angelus cogitare de re aliqua, antequam liberè, & distinctè de illa cogitet: reduci autem angelum à se ipso liberè ad primam distinctam cogitationem de re aliqua hoc modo: Nam cum ipse semper in sui ipsius consideratione naturaliter sit considerans actum suam essentiam & perfectiones; semper etiam considerat omnes species intelligibiles, quas in intellectu suo habet in actu primo ad intelligendum per illas, ex quo etiam consequenter cognoscit, saltem confuse, omnia obiecta, quorum habet species: nam cognitis speciebus & conceptibus formalibus, qui sunt in intellectu aliquo cognoscuntur obiecta eorum, saltem confuse, licet non clare, & proprio conceptu, ut disput. 38. cap. 4. dictum est: ex hac igitur cognitione, quæ considerat omnes species, quas habet, potest cōingere hanc, aut illam ut per eam distinctè consideret hoc, vel illud obiectum, cuius est species illa, quod iam per speciem ipsam confuse cognouerat, sciens, per illam speciem posse suum intellectum circa tale obiectum operari. De homine vero aliam existimat esse rationem; cum enim eius operatio pendeat à sensu, tanquam à ministrante obiectum; ab eo etiam determinatur ad hoc potius, quam ad illud considerandum, prout sensui varie occurrit.

Mihi sane hæc solutio non videtur firmum habere fundamentum; neque enim satis certum est, Angelum semper versari in sui ipsius consideratione; aut, si suam substantiam semper actu cognoscit: non est tam certum actu considerare omnes species intelligibiles sui intellectus, si eas habet in actu primo. Ideo respondeo, ad primam cogitationem de aliquo obiecto, nec determinari angelum ab obiecto exteriori creato, nec à seipso vltimo modo, sed à Deo auctore nature; hoc autem proprium esse rationalis creature, ut à seipsa non determinetur ad primam cogitationem ostendam 1.2. quæst. 109. artic. 4. & quamvis homo determinetur aliquando ab obiecto occurrente & excitante considerationem sui; hæc tamen determinatio in Deum, ut primum auctorem reuocari debet; quia ipse prouidentia sua fecit, ut talis esset series causarum naturalium, quæ potius hoc obiectum, quam illud in hac potius occasione, quam in alia occurreret; interdum tamen, nec minus frequenter sine externa occasione in-

Vaquez in 1. p. Tom. 2.

tellektus humanus excitatur, & determinatur ad hoc potius, quam illud considerandum, pro varietate cogitationum, quæ oriri solent in phantasia, & sensu interno: experiemur enim quotidie in nobis, dum cogitamus rem aliquam, subito in phantasia excitari imagines aliarum rerum; quæ quidem adeo variæ esse solent, ut in causam naturalem, quæ semper eodem modo operatur, reduci nequeant. Quare existimo ministerio aut boni, aut mali Angeli in nobis excitari, aut à Deo proximè moueri, & sensum determinari, tamen alicuius cogitationis causa naturalis interna esse possit, cur potius illa, quam alia in nobis fuerit.

Cæterum cum angelus à nulla aliâ causa exteriori creata naturali, aut libera determinari possit, quia nulla in ipsum physicè agere valeat, nec ab aliqua causa interna; tum quia naturalis nulla est, nec assignari potest: tum etiam quia libera esse nequit: vix enim explicare possumus, quo pacto à sua voluntate Angelus reduci queat ad primam cogitationem, relinquatur, ut à solo Deo determinetur; quàm solutionem præsentis difficultatis indicauit Capreol. loco citato, & S. Thom. passim hanc doctrinam inculcat, præsertim 1.2. q. 9. art. 4. & q. 10. art. 2. Et quæ doctrina Aristot. ut ibid. ostendimus.

ARTICVLVS III.

Utrum Angelus cognoscat discurrendo.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Angelus cognoscat discurrendo. Discursus enim intellectus attenditur secundum hoc quod vnum per aliud cognoscitur. Sed angeli cognoscunt vnum per aliud; Cognoscunt enim creaturas per verbum. Ergo intellectus angeli cognoscit discurrendo.

2. Præterea. Quicquid potest virtus inferior, potest & virtus superior. Sed intellectus humanus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere, secundum quæ discursus attenditur. Ergo intellectus angeli, qui superior est ordine naturæ, multo magis hoc potest.

3. Præterea, Isidorus dicit, quod demones per experientiam multa cognoscunt. Sed experientialis cognitio est discursiua. Ex multis enim memorijs fit vnum experimentum: & ex multis experimentis fit vnum vniuersale: ut dicitur in fin. Posteriorum, & in principio Metaphysicæ. Ergo cognitio angelorum est discursiua.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 7. de diuin. nominib. quod angeli non congregant diuinam cognitionem à sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad ista specialia simul aguntur.

Respondeo dicendum, quod sicut sæpius dictum est, angeli illum gradum tenent in substantijs spiritualibus, quæ corpora cælestia in substantijs corporeis.

Ddd

Nam